
ABROGATIO ET MODERATIO, ABVSVVM ET SVMPTVVM, QVIBVS LITIGANTES PARTES, TAM APVD SCABINALE, QVÀM ADVOCATIALE OFFICIVM, NIMIO ANTEA GRAVABANTVR, NECESSARIO CONSTITVTA, ET PER SENATVM CIVITATIS CRACCOVIÆ PROMVLGATA.



AD REGIAM CIVITATEM CRACOVIAM, CARMEN.

Stabunt res omnes melius, tollantur abusus,
Qui morbo inficiunt optima quæcꝫ suo.
Ære graui, lites quando ducuntur ad æuum,
Coguntur tenues linquere Iura sua.
En iam depulsis tenebris, ac luce reuersa,
Ciuilis, racio est reddita pura, fori.
Ne timeas sumptus litis, cui curta salinum
Mensa gerit, ius nunc iure reposce tuum.
Ergo tibi merito Craccouia grata, senatus,
Cura tui hæc maneat. commoda mille feres.

AD minuendos superuacaneos sumptus qui fiunt apud Iudicia Scabinalia, tum aduocati, uelut superioribus annis coram Sac: R: M: Domino nostro clementissimo, communitas ipsa cõquesta est, Se, sumptibus, impensis, & exactionibus, plus æquô & iusto, grauari. Sua itaq; R: M: decreuit, ut Consules Iudicium Scabinale, et Aduocatum suum cohiberent, & ita prouiderẽt, ne immoderatum precium a Ciuibus exigatur, neq; ullis damnis homines ab illis afficiantur.

Plurimum itaq; proderit, si omnes illæ inutiles solennitates aboleantur, nempe, ut nõ ad quamlibet quæstionem partis sentencia proferatur, sed dumtaxat, ubi in legitima actione inter partes præcesserit controuersia, quam necesse sit, per sentenciam dirimi, alioqui, in his, quæ omnibus nota sunt, non opus est sentencia, utpote, si quispiam in aliena causa sese aduersus reum citatum intimet, & reus querat. An non Actor debeat plenipotenciam demonstrare: Ibi non requiritur sentẽtia. Sed Iudex uerbaliter reo p̃cipiat, ut plenipotenciam exhibeat. Vulgo enĩ notum est. Neminem posse alienam causam citra mandatum peragere.

SENTENCIÆ SVPER QVIBVS REBVS FERENDÆ.

NVlla proferatur sentencia ad unius partis quęstionem, nisi fortè altera pars contumaciter absit, tunc oportet ex contumacia procedere, & per sentencias reum condemnare. Alioqui in alijs casibus non meretur sentencia dici, sed mera est ineptia, quicquid ad unius partis instanciam pronunctiatur. Vt. An debeam partem citare? An Acta debeant legi? An mihi liceat de rebus meis testamentaliter disponere? & alia id genus.

DE SENTENTIIS CONFIRMATORIIS.

TOllantur omnes quæstiones in controuersijs a partibus propositæ. Confirmationum uidelicet, literarum, actorum, plenipotenciarum, minutarum, testimoniorum, tutoriæ, testamentorum, executoriæ. Nam omnes istæ confirmationes, non solum inanes sunt, sed etiam nihil penitus Iuris addunt, si res ipsa per se parum est iusta, quod uel ex ipsis uerbis satis liquet. TESTIMONIVM HOC TANTVM HABET ROBORIS, QVANTVM IN SE CONTINET. Quasi quis diceret, tantū ualet, quantum sonat.

DE SENTENCIIS SVPER REFORMATIONIBVS.

CIrca reformationes, Actor quatuor sentencijs utitur, & Reus similiter quatuor. Quum tamen tam Actor, quam Reus, suas quilibet reformationes unica sentencia absoluere potest, et debet.

DE SENTẼCIIS SVPER WARENDA PRÆSTANDA.

CIrca Warendã seu Euictionẽ tollantur ineptæ illæ sentẽtiæ. An debeat præstari Waredã? quomodo? quando? An rite præstita sit? an tẽpus sit deponere Warendam? sufficit enim annotare, quod sit præstita Warenda, erecta manu dextera, ostenso atque erecto pollice, iuxta Iuris nostri obseruationem.

DE SENTENCIIS SVPER APPELLATIONIBVS ADMITTENDIS.

TVm etiam parum necessariæ uidentur, illæ duæ sentenciæ circa Appellationes, An scilicet admittenda Appellatio? Et quam cito Appellans suam debeat Appellationem prosequi? Notum est

enim a

enim a diffinitiua quemlibet appellare posse.

Deinde. Nemo ignorat. Fatalia appellationum, spatio sex septimanarum finiri. Nisi forte appellans præcustodierit & præcauerit sibi de eo, quod maturius intra fatalium tempus possit suam prosequi appellationem. Id quod ei liberum erit parte adcitata absque tamen prolatione sentenciæ.

SENTENCIARVM MVLTIPLICATIO VITANDA.

A Iudicibus magnopere uitetur multiplicatio sentenciarum, ne quod una absolui possit, in plures, quæstus gratia, parciatur. Vt, Si decernendum sit, aliquem debere creditum persoluere, adijciatur etiam tempus Quindenæ, octauæ, tridui, ad occasum solis, secundum causarum qualitatem.

DE SENTENCIIS SVPER IVRAMENTIS PRÆSTANDIS.

CIrca Iuramenta principaliũ, obmittãtur illæ omnes sentẽciæ & questiões inutiles, quomodo iuraturus debeat adire crucem: Quomodo iurandum: An tempus flectendi: apponeñ. deponeñ.

ponen̄. digitos, assurgendi? Sufficit enim, quod queratur, si & in quantum principalis suus, pro primo iuxta cursum Iuris, iuramentum peragere non ualeat, quoties illi opus fuerit. Si uero persona uirilis, quod bis post primum reiterandum. Tum & altera sufficit sentencia, ꝙ reus peracto rite iuramento liber sit ab impeticione Actoris, Et a cruce nihil exigatur.

DE IVRAMENTIS DIMITTENDIS.

A Dimissione iuramentorum, nulla poena Iudici cedat. Sed dumtaxat illi poenam succũbant, qui iuramenta decreta contumaciter non præstiterint. Etenim si Accusator, uel ex gratia uel Dei timore, remittit iuramentum, nulla inde penitus Iudici irrogatur iniuria. Et usu cõpertum est, multos haud quaq; iuraturos fuisse, nisi metu poenæ, quã aduocato dari oportuerat.

DE SENTENCIIS SVPER TESTIVM PRODVCTIONE.

CIrca productionem testium, tollantur illæ inutiles sentenciæ, An testis debeat in rotam intromitti? An debeat exaudiri? Quum tamẽ

in alijs casibus omnibus fere pateat rota, quibus aliqua sunt negotia. Et quod est ridiculum. Quando præco testificari debet de citacionibus. Queritur. An præco debeat in rotam intromitti? Quũ præcones, ut plurimum in rota desideãt.

A MVNIMENTORVM ATQ; ACTORVM LECTIONE QVID PENDENDVM.

IN progressu actionum, magnus fit sumptus circa minutarum & literarum lectionem. Sæpenumero leguntur duodecim minutę, & a singulis datur grossus unus, Quum tamen ex illis nonnullæ uix tres lineas contineant. Item diuersi actus leguntur ex libris iudiciorum, & a singulis datur per unum grossum. Sufficiet dari grossus unus ab omnibus quæ in una causa atq; una instancia seu termino leguntur.

DE ADNOTATIONE SÆPE REPETITARVM RERVM.

ITem. Propter molestam reppeticionem partium uel procuratorum in agendis & defendendis causis, crescunt libelli & processus in immensum dum eorum reppeticiones quoties fiunt, toties

actis

actis inseruntur, atque ita ex parua causa, nascitur ingens uolumen. Quæ tamen omnia, aut raro, aut nunquam a iudicibus idem uel ultimæ instanciæ perleguntur. Sufficit autem semel annotasse, quæ in una eadem causa a partibus, uel a procuratoribus dicuntur.

A CONTVMACIIS QVOMOdo soluendum, præsertim si fiant per plenipotentem.

AB annotatione contumaciarum in causis excedētibus summā decē marcarū detur grossus vnus. Si hæc fiunt a plenipotente, detur a plenipotencia grossus unus. Sed dumtaxat semel pro una uice in primo termino. In subsequentibus terminis, nihil soluatur a plenipotencia, de qua officio iam constat. Nam alias procedeñ. in contumacia & perlucris, sepius reiterantur plenipotenciæ, & sumptus multiplicatur.

A RESIGNATIONIBVS QVOmodo soluendum:

QVando plures hæredes, aut quicunque alij proprietarij, unam hæreditatem resignant, tum fiebant totidem resignationes diuisim, & a sin-

gulis soluebantur solidi scabinales, cum tamen hoc fieri debet ab omnibus coniunctim, per unā resignationem, secundum antiquam consuetudinem, præsertim, ꝗ totus ille actus etiam in unam inscriptionem redigi solet.

A TRANSLATIONIBVS EX officio factis, nihil exigendum.

SI quando ex officio fit trāslatio omnium causarum. Nihilominus etiam exigitur in speciali peccunia a partibus præsentibus, quod fieri non debet. A causarum uero translationibus, quæ uel per aduocatum, uel scabinos ex officio fiunt, nil penitus exigatur.

DE POENIS MAGNI IVDICII, ob titulorum permutacionem.

IN iudicio magno cessent pœnæ, quæ exiguntur ab his, qui per errorem prius Scultetum, ꝙ Burgrabium nominauerint. Ista enim nihil faciunt ad iusticiæ administrationem.

A PROSCRIPTIONIBVS quomodo soluendum, Et quo ydiomate fieri debeant.

Circa

CIrca proſcriptiões ſeu proclamationes, a ſen tenciarum queſtionibus & impenſarum, nullus eſt, neq; finis, neq; modus. Sufficiat ergo ſer uari talem ordinem & impenſam, uidelicet a cō uocatione ſcabinorum groſſus unus. Præconi a quatuor citaciõibus ſeu accerſionibus groſſi quatuor. Item. A ſentencia prima. An non debeat iuris ſubſidium prebери ad accerſen dum homicidam? Solidus ſcabinalis. A relatione Præconis, uicibus quatuor. Solidi ſca binales quatuor. A uocationibus, quatuor ſimiliter. Poſthæc ex contumacia & propoſitione fit ſentencia. Vltimò & finaliter queratur: An humari debeat? Pro quibus ambobus, duo ſcabinales ſolidi ſoluantur, & non amplius. Aduocato uero, a qualibet prefatarum ſentenciarum groſſus ſaltē unus dabitur. Famulo aduocati uel procuratori, dentur duodecim groſſi. Proſcriptio autem ſermone Polonico, ut omnes audientes intelligant, a ſcabinis proferatur.

przyp[rzy]wo-
łanie
sprawy

SINE SENTENCIA MVLTA proferri poſſunt.

POrro, multum decreſcet litium impenſis, ſi

 iudici

iudicibus curæ fuerit, non omnia per sentenciam. Sed pleraqꝫ uerbaliter partibus edicere. Maxime quæ sunt usitata, protrita, & omnibus notissima. Quemadmodùm superius etiam demonstratum est.

DE MVLCTA SCABINORVM, & aduocati, ob maledicta & uerborum contumeliam a litigantibus, exigenda.

IN casu, ubi coram iudicio, dum actio & lis ducitur, pars partem, siue sit principalis, siue mandatarius & procurator, conuitiosis & rixosis uerbis, affecerit. Idqꝫ ipsum iudicium audiuerit, tum non exigatur mulcta & pœna pro singulis ipsorum scabinorum & aduocati personis. Sed ad instigationem præconis ex mandato iudicij factam, Reus, unicam mulctam reponat toti iudicio scabinis & aduocato, nempe dũtaxat uiginti quinqꝫ grossos solidũ unũ. Quod si coram iudicio, dum actio & lis ducitur, pars partem, siue sit principalis, siue mandatarius & procurator, uerbis infamiam adferentibus impetierit. Idqꝫ ipsum iudicium audiuerit, Tum pariter unica tantummodo mulcta, ut supra, toti iudicio, per præconem exigatur, &

tur, & per ream partem reponatur. Parti uero lesæ & infamatæ, reus tenebitur eiusmodi uerbalem famosam iniuriam, reuocatione emendare, iudicio durante.

DE VERBALI DIFFAMATIONE.

IN iudicio aduocatiali, est ingens confusio, in causis diffamationum. Nam, ubi alter alterũ citat pro diffamatione. Reus negat. Decernitur iuramentum. Sed quia ex recepta consuetudine in diffamatorijs non admittitur iuramentum, cogitur mox reus dare pœnam. Et sæpe una mulier ira æstuans, citat tres uel quatuor mulieres aduersarias, pro diffamatione. Illæ omnes negant. Mox singulæ ob nõ prestacionem iuramenti, succumbunt pœnas. Est in eo casu magna calumnia & pœnarum exactio. In causis ideo eiusmodi diffamationũ, quæ præsertim inter leues & paruæ conditionis personas utriusq; sexus accidunt, aduocatus obseruet cognitionem de plano, sine ulla impensa. Et ream cõuictamq; testimonijs partem, cogat, ut partem offensam ijs uerbis reconciliet, dicẽñ. DOLEO, ID EX HVMANA FRAGILITATE ET ANIMI IMPVLSV, FACTVM, NIHIL ENIM MALI DE TE VNQVAM MIHI CONSTAT, PROIN-

DE, ORO, PROPTER DEVM, IGNOSCITO.

Hoc facto. Aduocatus ob petulantiam suæ linguæ, mulctam, a ciuibus, trium grossorum, accipiat. Quod si pars rea adeo pertinax sit, nolens parti offensæ reconciliare, extūc ream partem cognitam, puniat, scilicet uinculo torquis ferreæ, uulgo nuncupato Kuna, & non dimittatur hinc, nisi satisfecerit.

jako kuny przy kościele

DE MVLCTIS ADVOCATI ex uulnerationibus.

IN casu, ubi de uulneribus cruentis monomachalibus agitur. Aduocatus ita se gerat in exigendis mulctis, uidelicet si eiusmodi uulnerationis cruentę monomachalis accusatio acciderit, post magni legalis iudicij proclamationem, intra duarum septimanarum spatium, tum exigatur mulcta quadraginta grossi. Quod si illa uulnerationis cruentæ monomachalis accusatio, euenerit alio tempore extra dictę proclamationis tempus, tum exigatur mulcta a parte ledente, uiginti quinq; grossi solidus unus. Cuicunq; sexui a quocunq; sexu tale uulnus illatum fuerit. Secus obseruabitur in simplici cruentacione & liuida percussione, ubi aduocatus exiget mulctàm quinq; grossorum solidum unum, & non maiorem.

De pro-

DE PROCVRATORIBVS.

PRocuratores ſint iurati, quibus definitũ detur prætium. Videlicet ab arreſtacione, a terminorum aſticione, a dilationibus, ſeu ſuſpenſionibus cauſarum. Sufficiat procuratori dari groſſus unus. Verum a procuratione cauſæ unius diei ſpacio præſtita. Sufficiat dari quatuor groſſos procuratori, tam actoris q̃ꝫ rei.

DE PROCVRATORIBVS, qui iurare noluerint.

EOs uero, qui iuramentum facere non uellent. Iudex a ſubſellijs repellet, illiſqꝫ actiones agere non permittet. In contrarium agentes, ad exceſſus rationem, a Conſulatu Cracouienſi ad partis inſtanciam, puniendi ſunt.

DE HIS QVI AMICO PATROcinantur, atqꝫ de externis procuratoribns.

SI quis uero amicus, agnatus, ſiue cognatus. Cauſam alicuius coram conſulatu, uel iudicio agere uellet, quæ breuibus abſolui conſueuit, hos a iuramento liberamus, niſi uarijs perſonis officia ſua faceret, Indigenis et externis quoqꝫ

liberũ

liberum sit secum aliunde procuratores adducere, & iuramento eos non grauari, nisi eadem absoluta causa hic quoq; aliorum causas procurarent. Nam tū sic quoq; obligati erunt ad eadem, ut alij hic habitantes, onera.

IVRAMENTVM PROCVRAtorum, quod singulis annis præstare tenentur, post scabinorum electionem.

EGo N. iuro Deo, quia iudici obediens esse uolo, in his, in quibus de iure teneor. Et q syncere, fideliter, diligenter, integre, & sine multis dilacionibus, non animo serendi lites, officium meum procuratoris, administrabo, causam in agendo uel defendeñ. a principali meo susceptam, pro uirili ingenij mei, iuxta conscientiam rectam & exquisicius consilium, defendam, cognitoq; consilio unius, alteri non pandam, neq; ad illum me diuertam, sed circa priorem stare uolo, ad finem usq; litis. Iuroq;, & munimēta per principalem meum mihi oblata & data, tum & consilia atq; colloquia, in causa mihi concredita: nemini, maximeq; parti aduersæ, uel procuratori, aut assistentibus illi, uerbo, scriptis, indicijs, per se, uel per alium, reuelare, nec in dānum principalis beniuole me uincere permittā:

& alias

& alias omnia facere uolo, quæ bonum, fidelem, ferendarium & patronum decent, istudqꝫ ommittere nolo, gratia amoris, fauoris, odij, inimicitiæ, munerum, lucri, aut alicuius alterius rei. Sic me Deus adiuuet & omnes sancti eius.

DE ADVOCATIA ET IVDICIO aduocati priuato, sine iuris strepitu præstando.

RESecatis grauioribus & inutilibus litis sumptibus, qui coram officio scabinali fiebant. Operæpretium quoqꝫ est, eiuscemodi abusus & grauamina apud offitium aduocatiale repurgare, & amputare. Ideo. Omnes actiones coram aduocato non excedentes decem marcas. Cum sunt breues lites, & inter personas paupe res & uiles, paruæqꝫ condicionis, cognoscere statim opportet, absqꝫ aliqua expensa. Quemad modum etiam cognoscuntur & aguntur coram domino Proconsule. Sufficiat ꝙ à citacione partis detur solidus unus, & a sentencia acticata, similiter solidus unus. A lectione autem actorum, nil omnino solui debebit.

A MINVTIS ET INVENTArijs aduocato quomodo soluendum.

 A minu-

A Minutis autem aduocatialibus, causarum & inscriptionum, tam coram scabinali q aduocatiali officio, uentilatarum & factarum, ab aduocatiali officio ex libris eiusdem aduocati officij recipiendis, soluatur ipsi aduocato, ad eum qui sequitur modum, nempe a media pagina scripta, siue medio folio scripto, si addetur sigillum, grossos duos. Sin autem sigillũ desit, grossus unus. Ab integra uero pagina scripta, siue integro folio scripto cum sigillo, grossi tres. Sine autem sigillo grossi duo. Similiter circa cõscriptionem, & minutarum extractionem, inuentariorum, eiusmodi moderatio sumptuum seruetur.

AB OCCLVSIONE ÆDIVM aut cistarum, dum conscribendus sit inuentarius, quomodo soluendum.

CÆterum in conficiendis inuentarijs, ab obsignatione & sigillatione, ita soluatur aduocato simul cum eius familia. Videlicet a qualibet unius cubiculi occlusione & obsignatione tres grossi, totiens, quotiens, eam occlusionem & sigillationem fieri acciderit. A simplici uero occlusio-

clusio-

clusiõe & obsignatione cistę, uel armarij unius, si quis eam optauerit, soluatur unus grossus.

A RELAXATIONE QVID SOLVENDVM.

A Relaxatione uero, si partes cõcordauerint, detur grossus unus. Si decem marcas excesserit, sin minus, solidus unus detur.

A PLENIPOTENCIA, IN EO actu qui coram solo aduocato fit, quid soluendum.

AB inscriptionibus contumaciarum, obligationum etc. quæ per plenipotentes fiunt. Semper a plenipotencia exigebatur grossus vnus. Sufficiat solidus unus. Vt sit differentia inter iudicia Bannita, & aduocatialia.

A DANDIS POSSESSIONIBVS, quomodo soluendum.

ABusus item, in danda possessione aboleantur. Siquidem antea, ubi alicui dabatur possessio in hortum, & adnexæ fuerant plures domũculæ, ad illum hortum pertinentes. A singulis

domunculis prætium poſtulabatur. Sufficiat ergo a danda poſſeſſione, in hortum ſimul cũ pluribus adnexis domunculis, ad illum hortum pertinentibus, unicum prætium conſuetũ dari.

DE POSSESSIONE DANDA, uarijs quidem ſed coniunctis perſonis.

CVm contigerit plures hæredes coniunctas & cognatas perſonas, in unam & eadem hæreditatem capere poſſeſſionem, tum aduocatus cõtentus ſit unico prætio conſueto, ab eiſdem perſonis omnibus in ſolidum accepto,

DE POSSESSIONE DANDA, diuerſis & diſtinctis perſonis.

SIn uerò contigerit dari poſſeſſionem, extrãneis & non coniunctis perſonis, habentibus diuerſum ius acquiſitum, tum ſoluatur aduocato ſeorſim & uiritim, a cuiuſlibet perſonæ poſſeſſione, prætium ſolitum.

AB ARRESTATIS OFFICIOqꝫ præſentatis equis, quid exigendum.

ET circa equos arreſtatos & ad officium adductos

ductos

ductos, magna fuit impensa, præsertim si eorum erant multi, & longo tempore detinebantur, A singulis enim equis, singulis diebus noctibusq́ꝫ, numerabantur ratione Orboræ per grossum unum. Sufficiat ergo ab Orbora solidus unus. A pabulo uero singulis diebus & noctibus præbito, grossus unus. Nihilominus, si quis interim uelit huiusmodi equum fideiussoria caucione ab aduocato eliberare. Id quoq́ꝫ concedendum erit, & ab Orbora liber erit.

INTER LITIS EXPENSAS quæ adnumerari debent.

INter expensas litis, computentur ordinata salaria procuratorum, & sumptus minutarum, secundum ordinationem prius descriptam.

DE PRÆCONIBVS.

PRæconum etiam rapacitas meritò coërcenda uidetur, ne posteaq́ꝫ ab una parte cittandi prætium acceperint, rursus etiam, quod antea sæpe factitatum est, a diuersa parte, accipiant. Quæ res parit de prioritate cittacionis multarum contencionum seminaria. Sed ut pri-

mum, merces præconi data est, tum pro fide & iuramento suo, exequatur illam cittacionem, nihil a diuersa parte interim recepturus.

Huc etiam pertinet alius error meritò abolendus, q plerunq; unus litigantium, omnes quotquot sunt, Procuratores & Præcones, numerata mercede conducit, & subarrat, quod fieri non debet.

CRACOVIÆ,

APVD VIDVAM FLORIANI VNGLERII, ANNO A CHRISTO NATO.

1547.